

1.  
2.  
3.  
4.  
5.  
6.  
7.  
8.  
9.  
10.



1670

1. Buekersrode, Tobias Vickerich : De recognitione fecis
2. Carpzov, Augustus Benedictus : De jure dividiendi, et  
indivisi circū personas, res et actiones
3. Franckenstein, Christian Fridericus : De Gajo et Lucio  
Caesibus ex Tacit. lib I annal. CIII
4. Gieslerus, Frdr. : De intestato
5. Rechenberg, Adamus : De actate honoribus et officiis  
; donec
6. Romanus, Paulus Franciscus : De juramento testium
7. Romanus, Paulus Franciscus : De concurrentia jurid.  
dictionis
8. Romanus, Paulus Franciscus : De jure episcopali  
protestantium
9. Romanus, Paulus Franciscus : De mercatura
10. Romanus, Paulus Franciscus : De medico.

1670

11. Romanius, Petrus Franciscus: De furtis
  12. Romanius, Petrus Franciscus: De obligationibus in  
heredes tam active, quam passive hereditario
  13. Salzman, Balt. Frid.: Descriptionis antiquae ualde  
late
  14. Schacher, Auridius: De renunciationibus actionum  
in dubiarum
  15. Schacher, Auridius: De actione subsidiaria: De  
magistratus conveniendis.
  16. Schwendtaerfferus, Barth. Leonhardus: De annalis
  17. Schwendtaerfferus, Barthol. Leonhardus: De eo, quod  
circa formale ac factuale opponendarum exceptio  
rum in iuris Romanis, German. ac Saxonice hodie  
jactum est.
- 1671.
1. Alberti, Valentianus: De coloniis

1671.

2. Fellers, Ludovicus : Media orthodoxae religionis  
inter excessum et defectum via.
3. Metzger, Jo. Christianus : De Lae daemoniorum } 3 v. 1712  
sua seu rigore adversus peregrinos.
4. Kuehlerer, Georgius Guilielmus : De autochiria.
5. <sup>part</sup> Merbitius, Johann Val : De infantibus supposititiis  
vulgo Weckelbälgen 2 Bunde
6. Rechenberg, Adam : Johannes Hus, Martyr
7. Romanus, Paulus Franciscus : Prognostica, quae ad  
orationem solemnem, quam propter novam pandecta-  
rum professionem propositam subeundam recita-  
tura est, iurata.
8. Romanus, Paulus Franciscus : De Senatus Consulto Vellejano
9. Romanus, Paulus Franciscus : De bonis hereditariis

1671.

10. Sauerbrey, Johannes: De foeminarum conditione
11. Schreuder, Joerfferus, Barth. Leonhardus: De arbitrio  
compromissario
12. Schreuder, Joerfferus, Barth. Leonhardus: De formalis  
ae fatalis appellationum
13. Schreuder, Joerfferus, Barth. Leonhardus: De confessione  
legitima.
14. Schreuder, Joerfferus, Barth. Leonhardus: De placitis  
vel pactis
15. Schreuder, Joerfferus, Barth. Leonhardus: De jure  
et facti ignorantia
16. Schreuder, Joerfferus, Georgius Tobias: Commentatio in  
§, § 1. de excusat. tutor vel  
curat.
17. Schreuder, Joerfferus, Georgius Tobias: De duellorum varis  
generis moralitate



174  
1670, 5, XL  
Εν τῷ τῷ Ἰησοῦ δὲ λογῆς δὲ λογῆς  
ὀνόματι!

# INTESTATUS,

nobilissimo Jctorum ordine  
consentiente

P R Æ S I D E

FRIDR. GEISLERO, Reussendorff-Silesio.

Phil. & J. U. D. Majoris PP. Collegii Collegiatio

Præceptore officioso amore colendo,

publicè

A. C. 1670. d. 3. Februar. H. L. Q. C.  
ad examinandum propositus

GODOFREDO Böttiger/ Bornâ-Misnico,  
Jurium Studio.

L I P S I Æ,

Literis JOHANNIS ERICI HAHNII.

H. M. E.

INTESTATUS

nobilissimo Germano ordine

contentis

FRANCO

FRIDR. GERHARD, Rensendort-Sileno.

Mag. J. H. Majoris P. Collegii Collegiaro

Mag. J. H. Majoris P. Collegii Collegiaro

publico

Mag. J. H. Majoris P. Collegii Collegiaro

Mag. J. H. Majoris P. Collegii Collegiaro

Mag. J. H. Majoris P. Collegii Collegiaro

Mag. J. H. Majoris P. Collegii Collegiaro

Mag. J. H. Majoris P. Collegii Collegiaro

Mag. J. H. Majoris P. Collegii Collegiaro



I. N. D. N. J. C.

Præloqviū.

**S**CHOLASTICAS DISPUTATIONES parum prodesse *ad sapiētiā*, iudicavit Hugo Grotius; Eodem tamen auctore didici, illas ideò non esse omnimodis contemnendas, utpote quæ, velut militiæ togatæ Prolusiones, profunt ad parandum foro & subitaneo certamini ingenium.

Dum autem ejusmodi Prolusionem cogito, & in diffusum Juris campum (Thematis seligendi gratiâ) excurro, idem mihi usu venit, quod illis, qui verno tempore Hortos floribus variegatos ingrediuntur, sed modò hoc, modò illo naturæ ludentis spectaculo trahuntur. Animus meus, ut fatear quod res est, aliquoties abiit in diversa, mox hanc, mox illam ambiens materiam. Tandem tamen acquievit in præsentī & fortassis non futili ac inutili Materjâ, quam concisis Thesisibus iuclusam, amicæ & publicæ disquisitioni exponam; firmâ spe fretus, fore ut non solùm meo ingenio Exercitium, sed etiam Veritati *secundum c. grave 7. c. 35. qu. 9.* thesium agitatæ, splendidior Lux accedat.

Ne autem illotis, *ut ita dixerim cum Cajo l. 1. ff. de Orig. jur.* manibus rem aggrediar, prius mihi exoranda erit SS. TRINITAS, ut hos meos conatus ad optatum Finem clementissimè perducatur!

A B

Th. I.

## INTESTATUS.

### Th. I.

Methodica cujusvis rei tractandæ ratio est, auspicari & exquirere, UNDE res ipsa, de quâ agitur, descendat *l. 1. pr. ff. de I. & I. Mo-*re igitur etiam Jctis familiari Notationem vocis præmittam.

INTESTATUS dicitur, uti constat, à præpositione IN, quæ h. l. minuit significationem, & idem est ac *non*: quemadmodum, passim ita sumitur apud Auctores, teste *Buchner. in Thes. Fabr. p. m. 479. a.* & verbo TESTARI, quod ipsum triplicem agnoscit significationem: (1.) idem est ac testem Agere, (2.) significat testem Implorare, (3.) deniq; dicitur etiam *τὸ* Testari de Rebus, quas post mortem fieri volo, *vid. Martin. Lexic. Philolog. p. m. 3871.* Atq; hæc de vocabuli intestati Etymologiâ.

### Th. II.

HOMONYMIAM quod attinet, benè hîc notandum venit, quòd vocula hæc bifariam in jure nostro accipiatur, *proprie* scil. & *improprie*.

PROPRIE intestatus is dicitur, (α.) vel qui, cùm posset jure testari, tamen testatus non est, fortè *noluit*, aut quia impeditus, puta morte, *non potuit*; (β.) vel qui testamentum quidem fecit, sed non Jure, puta si septem testes non adhibuerit: si filium, quem in potestate habet, præterierit: & in summa, si quas alias solennitates in testamentis conficiendis à jure requisitas non observaverit, *l. 12. C. de testam.* (γ.) vel qui testamentum quidem jure fecit, sed quod ex post facto Infirmetur: quod fit, si rumpatur, vel irritum fiat, *ut exposuit Justin. Inst. quib. mod. testam. infirm.* (δ.) vel deniq; si ex eo testamento nemo Heres existat, *ut in Inst. de hered. ab intestato, pr. l. 64. ff. de V. S.*

Porrò intestatus etiam alio sensu sumitur, quùm opponitur antestato, i. e. ei, qui testato conventus est, *vide Cujac. 7. observat. 16.*

IMPROPRIE intestati dicuntur, qui planè testari non poterunt, *l. 1. pr. ff. de suis & legit.*

### Th. III.

Atque hæc ultima vocabuli hujus significatio etiam ad nos impræsentiarum spectat, hinc quoq; dicimus INTESTATOS eos, quibus non licet facere testamentum: seu qui testamenti faciendi jus non habent, *pr. Inst. quib. non est permiss. fac. test.*

### Th. IV.

I N T E S T A T U S.

Th. IV.

Eorum v. summam & catholicam DIVISIONEM ponimus hanc: quòd videlicet quidam testari prohibeantur vel Naturâ, vel Lege.

Th. V.

NATURA testari prohibitos iterum in duas locamus classes, quarum priorem defectu Animi, posteriorem verò defectu Corporis laborantibus adscribimus.

ANIMI defectus nobis dicitur, cum quis VEL eâ est ætate, ut animi iudicium nondum habeat, VEL, ejus est ætatis, ut habere quidem possit, non tamen habet ex casu aliquo, eoque fortuito, vel naturali.

Th. VI.

Priori classi accensentur I. IMPUBERES, §. 1. *Inst. quib. non est perm. fac. test.* quales sunt Masculi qui decimum quartum, & Fœminæ, quæ duodecimum ætatis annum nondum compleverunt, l. 5. ff. *qui test. fac. poss.* & l. 4. C. eod.

Quem quidem annum complevisse quis dicitur, dum ejus Ultimatum attigerit diem. Quoties enim de Favore alicujus agitur (in quò plenior plerumq; interpretatio admittitur. *Dd. ad c. 15. de R. I. in. 6to.*) ut potius valeat testamentum, quàm pereat, placuit diem cceptum habere pro completo, *Schneidevv. ad §. 1. Inst. quib. non est perm. fac. test. n. 1. & 2. Harpprecht. hic l. n. 3. Carpz. part. 3. const. 6. def. 6.*

Quare a. impuberibus testamenta facere non liceat, Ratio obvia est: quia nullum eorum animi est iudicium, *uti loquitur §. 1. Inst. qui testam. facere poss. confer. l. 4. C. qui test. fac. poss. h. e. tale,* quale requiritur in eo, qui de Omnibus facultatibus suis Unâ perpetuâ dispositione statuere cogitat. Etenim ut quis jus testandi habeat, imprimis integritas Mentis & perfectio requiritur, l. 2. ff. *qui testam. fac. poss.* unde & testamentum ultimum mentis iudicium appellatur, l. 19. §. *prætereà ff. de inoff. testam. l. 5. ff. quemad. test. aper.* ac ultimorum iudiciorum contestatio, §. *pen. Inst. de testam. ordin. ibid. Wesenb.* Secundum quam opinionem etiam Scabinos Jenenses pronunciaffe, tradit Magnif. Dn. Richter *de testam. ad l. 4. C. qui testam. fac. poss. n. 17.*

Dicta (juris Civilis videntur *Ludov. de ult. volunt. part. 1. c. 2. p. 25.*) decreta procedunt (1.) etiamsi Impubes sit in confinio Pubertatis,

I N T E S T A T U S.

tis, quò dicitur capax doli esse, & malitia supplere ætatem. Ratio hujus ampliacionis est, quia lex præcisè requirit ad testamentifactionem Certum & Realem annorum numerum, *l. 5. ff. qui test. fac. poss. & l. 4. C. eod. ibiq; Joh. Brunnemann.* (2.) Quin & tunc Impuberis testamentum non valet, quando cum Tutoris auctoritate factum est, Ratio, quia ejus auctoritas in testamentis non attenditur, & testamentum Minoris valet, etiamsi ejus tutor dissentiat, *Tiraquell. ad l. 8. C. de revoc. donat. n. 5.* Ita Mulier, quamvis in perpetuâ tutelâ esse dicatur, liberè potest testari, nec indiget curatoris consensu, *per text. express. in const. Nov. Elect. Aug. part. 2. Const. 15. in fin. vers.* Jedoch mögen Ehefrauen / Witwen und Jungfrauen / wo sie ihre mündigen Jahre erreicht haben / vor sich selbst von ihren Haab und Gütern beweglichen und unbeweglichen aufferhalb der Gerade wol Testament machen. *Moller. lib. 5. semestr. c. 1. n. 68. Berlich. part. 2. conclus. 17. n. 97.* Jus n. testandi per Se firmum esse debet, nec ex Alienâ voluntate, atq; arbitrio dependere *l. 32. pr. ff. de hered. instit. l. 1. ff. qui testam. fac. poss. & Tutor datur ut consulat pupillo Viventi, non Morienti, secund. Gloss. in l. 4. C. qui test. fac. poss.* (3.) Imò Impuberis testamentum ne quidem ad Pias causas validum esse asserit *Treutlerus vol. 2. diff. 10. th. 3. lit. a. Schneidevv. ad §. 1. Inst. qui testam. facere non poss. n. 3. Reusner. de testam. p. 2. c. 6. n. 32. Carpz. part. 3. const. 6. defin. 6. Ludvv. Exerc. 7. th. 5. lit. a.*

Th. VII.

hactenus de Impuberibus, nunc II. de FURIOSIS, quorum duo in jure nostro proponuntur genera: Unum eorum, qui Perpetuo furore agitantur, & ut ait *Jct. Macer. in l. 14. ff. de off. presid.* Continuâ mentis alienatione omni carent intellectu. Alterum continet eos, quorum furor intermissus est, & dilucida habent quietis Intervalla, s. Inducias, *l. 22. §. 7. ff. solut. matr. l. 20. §. 4. ff. qui testam. fac. poss.*

Nos hîc loci Prioris generis furiosos, qui scil. perpetuo ac continuo furore laborant, volumus intellectos, atqve de his dicimus, quòd omninò testari nequeant.

Ratio est, quia Testamentum dicitur testatio mentis, *pr. Inst. de test. ord.* & voluntatis nostræ justa sententia *l. 1. ff. qui testam. fac. poss.* Tantum a. abest, ut furiosi sint mentis Integri & compotes, ut potius mente omninò Carere dicantur. *§. 1. Inst. qui testam. facere non poss.*

ut

I N T E S T A T U S.

ut illis Nulla sit voluntas, *l. 40. ff. de R. I.* ut deniq; pro Absentibus habeantur, *l. 2. §. 3. ff. de jure Codicill.*

Adeò autem testamentum à Furioso factum est invalidum, ut nec convalescat, si postea sanæ mentis compos decesserit *per d. §. 1. Inst. quib. non est perm. fac. testam. l. 9. C. qui testam. fac. poss. ibiq; Dn. Richter n. 14.* (1.) quia à testatore requiritur, ut utroq; tempore jus testandi habeat, non tantum tempore Mortis, sed & tempore facti Testamenti *pr. Inst. quib. non est perm. fac. testam. l. 19. ff. qui testam. fac. poss.* (2.) quia, quod Initio vitiosum est, non potest Tractu temporis convalescere *l. 29. & l. 210. ff. de R. I.*

Vice versâ valet testamentum, quod per dilucida furoris Intervalla, h. e. tempore intermissionis factum est *§. 1. vers. furios. Inst. qui testam. fac. non poss. l. 20. §. 4. ff. qui testam. fac. poss. l. 9. C. eod. Trentl. vol. 2. disp. 20. th. 3. lit. c. conf. Eusebii chronicon & Vossii Instit. orat. ubi mentio fit T. Lucretii Cari, qui à suâ Lucilliâ per philtum in furorem conversus, nihilominus aliquot libros per intervalla dementia scripsit.* Nam in testamentum sub Interstitio furoris conceptum non cadit prohibitionis ratio, quæ est Furor, mentis defectus, & insania; cessante autem prohibitionis Ratione, cessat & ipsa Prohibitio, *per gloss. in c. 11. post translationem x. de renunciatione.* Ex quò etiam illud sequitur, quod testamentum sub furoris Induciis factum, non vitietur, etiamsi testatoris mentem iterum debellaverit furor.

Ergò in eo qui testatur, integritas Mentis exigitur, sanitas Corporis non æquè, *l. 2. ff. qui test. fac. poss.* Et ea quæ ex testamento proficiscuntur, ita status eventum capiunt, si Initium quoq; sine vitio cœperint, *l. 201. ff. d. R. I.*

Cæterum qui Furorem allegat, eum probare tenetur, *l. 5. ibiq; gloss. C. de codicill. Mascard. de probat. vol. 2. concl. 824. n. 5. & seq. alioquin, furiosi Intervalla habentis testamentum (ritè & rectè ordinatum.) in dubio, Intermissionis tempore factum præsumi debet. Mynsing. cent. 2. observ. c. 41. Reusn. de testam. p. 2. cap. 8. n. ult. in pr. quia ex qualitate actus in dubio quilibet Sanæ mentis fuisse præsumitur, Gothofr. ad l. 2. C. qui test. fac. poss. donec demonstretur contrarium, l. fin. ff. quod met. causa. Trentl. vol. 2. disp. 10. th. 3. lit. c.*

Quæritur h. l. an testamentum Ante furorem factum, per Supervenientiam furoris infringatur; e. gr. quidam mentis adhuc compos

I N T E S T A T U S .

compós fecit testamentum, eoq̄ facto cœpit furere, & in furore, quoq̄ decessit. Quæritur, an valeat ejusmodi testamentum? Resp: testamentum legitimè factum postea furor superveniens non facit irritum, §. 1. *Inst. quib. non est perm. fac. test. l. ult. ff. de injust. & irrit. fact. test.* quia ea, quæ sunt Facti, ut furor, non possunt infirmare ea, quæ sunt Juris, arg. §. ult. *Inst. de legit. agnat. tut. arg. l. 8. ff. de his qui sunt sui vel alien. jur.* Hinc fortè etiam *Sempronii Tuditani*, qui erat certæ notæq̄ insanix, testamentum, in quò Ofilium (alii falsò legunt: Filium) heredem instituerat, validum pronunciârunt centumviri: quippe magis Quod scriptum esset in tabulis, quàm Quis eas scripsisset, considerandum existimârunt, teste *Val. Max. lib. 7. c. 8. §. 1.*

Th. VIII.

Furiosos in eâdem classe seqvuntur III. MENTE CAPTI, circa quos, quia eadem militat Ratio, eadem observatur juris Dispositio. Quemadmodum n. Furiosi, ita & Dementes prorsus destituti sunt mente, arg. §. 4. *Inst. de Curat. l. 17. ff. qui test. fac. poss. §. 1. Inst. quib. non est perm. fac. test.*

Quomodo verò aliàs *Mente capti* differant à *Furiosis*, prolixè docent alii, puta *Mynsinger ad §. furiosi Inst. b. t. n. 12.* *Giphanius ad d. §. 4.* Hoc tamen potissimùm inter Furiosos & Mente captos interest, quod Furiosi agitantur cum tumultu, Mente capti v. in quiete delirant.

Ab hisce autem separantur homines simplices & Hebetioris ingenii, die etwas einfältig/ alber und nicht gar verschlagen sind: hos enim testari posse æquius est, censente *Mynsing. ad d. §. 1. n. 6.*

Th. IX.

Mente captos excipiunt IV. PRODIGI, qui bona sua dilacerando & dissipando profundunt, nec ullum expensarum tempus aut finem habent, l. 1. ff. *de curat. furios. dand.*

His quoque testamentifactionem prohibitam esse evincit §. 2. *Inst. quib. non est perm. fac. test. l. 18. ff. qui testam. fac. poss.* Etenim licet quidem tales Mentem omninò habeant; tamè quoad bonorum administrationem rerum suarum Furiosum faciunt exitum, l. 12. *in fin. ff. de tutor. & curator. dat. Franzk. Exerc. 3. qv. 6. n. 1. digni* ideò, qui in l. 40. ff. *de R. I.* ipsis Furiosis æquiparentur.

Quod ipsum tamen in iis tantùm prodigis procedit, quibus Inter-



I N T E S T A T U S.

Interdictum est bonis, quòd si enim, Antequam eis interdicator bonorum administratio, testamentum fecerint, illud ratum manet etiam post interdictionem, *l. 18. pr. ff. b. t. Pac. in analys. Inst. ad §. 2. qvè testam. facere non poss. Carpz. p. 3. const. 6. def. 10.* quia fatis est illud initio rectè factum esse.

Hinc multum à Dd. agitari solet illa controversia: utrum prodigo ipso Jure bonis interdicator, ut testari nequeat, an verò officio Magistratus?

Et quamvis priorem opinionem, prodigo videlicet ipso Jure statim, ut prodigus appareat solummodò, bonis interdici, Donellus *ad l. 6. ff. de V. O.* multis argumentis confirmare conetur;

Communem tamen Practicorum sententiam probabiliorem, putamus, quòd scil. prodigo ipso Jure interdicator administratione bonorum, si modò talem Judicis Declaret decretum, *Svev. velit. 5. th. 3. lit. v. Vult. ad §. 2. Inst. b. t. n. 5. Mynsing. hic. n. 2.* Solumnamq; Legis INANIMATÆ est interdictio bonorum; sed cum illa descriptionem Prodigii tradat Generalem & Mortalem quasi (quòd neq; modum neq; finem expensarum faciat, *d. l. 1. ff. de curat. furios.*) certum Individuum determinare non potest; quare omninò opus est sententia Legis ANIMATÆ seu MAGISTRATUS, qui legem illam habitam Personæ, Causæ ac Facultatum ratione, decreto suo denunciatur, & ad casus speciales, i. e. ad hunc illumvé (non solum *Ethicè*, sed & *Polit. cè* pro prodigo habendum, *vide Wisenbach. ad ff. part. 1. Disp. 53. th. 22. p. 553.*) applicat, *Dn. Franzk. Exerc. 3. qv. 6. n. 3. & 5.*

Aliàs certè nemini rerum suarum administratio auferenda, *l. 2. ff. de his qui sui vel alien. jur.* Cur non absque Causæ cognitione? quia varia sunt hominum judicia, per quam varietatem facilè fieri posset, ut, qui uni Prodigus censeretur, alteri splendidus & Liberalis haberetur.

Receptam vero vitæ ac morum Sanitate, Interdictionem ipso jure *vide l. 1. pr. ff. de curat. furios.* expirare ac proinde rectè testari, ait *Vult. d. l. n. 5. Dissentiente tamen Wisenbachio loco citato p. 554. & Bechmanno ad l. 10. pr. ff. de curat. furios. p. 161.* Ratio, quia remotam Causam removetur Effectus, *c. 60. extr. de appellat. & quæ ob causam Dantur, ab eadem Moderantur, l. 37. §. 2. C. de inoff. testam.*

B

Contro-

M D C C A R T A.



## I N T E S T A T U S.

Controvertitur hic ulterius: an Prodigii testamentum, quò probè posteritati suæ consuluit, valeat?

Et respondemus cum Cujacio *in l. 6. ff. de V. O.* quòd utiqve valeat, nempe si non quâ Prodigus, sed fortassis aliis ex causis quid Probè utiliterq; gessit. Nam ea quæ ex re ipsius sunt, prodigus facere non prohibetur: putà hæreditatem relinquere necessariis, pauperibus sua distribuere, &c. *Nov. Leonis 39.* Objicis: hanc decisionem, non esse recipiendam, utpote desumptam ex Novellis Leonis usu non receptis. Resp. Leonis constitutiones, quatenus juri non adversantur, & casum eo non decisum continent, omninò esse recipiendas, *uti monet Arum. Ex. 2. ad Inst. th. 15. p. 740.* Ulterius instas: interdictio bonorum obstat, quò minus prodigus quicquam de bonis suis disponere queat. Ad hoc reponimus, interdictionem bonorum in prodigi utilitatem fuisse introductam, ne patrimonium perderet, & in paupertatem miserè perveniret.

Si autem hæc Ratio cessat (i. e. quando prodigus conditionem suam efficit meliorem, suæve posteritati prospicit, aut quicquam utiliter gerit) tunc & Effectus interdictionis bonorum cessare debet, *l. 6. §. 2. ff. de jure patron. vid. Job. Dauth. in tract. de testam. sub tit. qui testam. fac. poss. n. 225. Ludvv. Exerc. 7. th. 5. lit. a. Carpz. part. 3. const. 6. def. II. Philippi in usu pratico lib. 2. Inst. tit. 12. ecl. 52. p. 388. seq.*

### Th. X.

Ad classem hæcenus visam etiam EBRIOS atq; IRATOS trahit Ludvv. *de ultimis voluntatib. part. 2. c. 1. p. 203. §.* qui eundem plerumq; *πὸ δὲ sequitur, Strauchius, dissert. pandectali 9. th. 8.* Rationem verò, cur & his testandi jus denegetur, suppeditat hanc, quia & ipsi mente ac judicio quodammodo destituuntur, *c. 3. §. 5. dist. 35. c. 14. x. de vita & honest. Cleric. §. 1. 48. ff. de R. I.*

### Th. XI.

Absolutâ classe Anteriori, quæ erat defectu ANIMI laborantium, deveniamus, age! ad Alteram, quæ est eorum, qui laborant defectu CORPORIS.

Per CORPORIS defectum denotamus non Quemcunq; morbum, *l. 2. ff. qui testam. fac. poss.* sed eum duntaxat, quò impediuntur Sensus ad faciendum testamentum necessarii: prout videre est in SURDIS qui omninò non audiunt; non vero qui minus benè audiunt:

## I N T E S T A T U S.

diunt: & in MUTIS, qui omninò dari nequeunt; non autem qui tarde loquuntur.

Isti namque jure Veteri nullo modo testari poterant, *l. 6. §. 1. ff. qui testam. fac. poss.* Ratio, quia SURDUS [verba familiæ emtoris, & testes sibi testimonium perhibentes exaudire, MUTUS verò verba nuncupationis eloqui, & testes accire ac rogare non posset, *Ulpian. in fragm. tit. 20. Inst. de testam. c. 12.* quorum utrumque; tamen, ut & testes roget, & exaudiat, in testatore requirebatur Olim, *l. 21. ff. qui testam. fac. poss. de testam. milit.* nisi testandi licentiam à Principe impetrassent, quo casu testamentum valebat, *l. 7. ff. ibiq; Gothofred. eod. Treutl. vol. 2. dist. 10. th. 3. lit. e.*

Hodiè verò ex novâ constitutione Justiniani *in l. 10. C. qui testam. fac. poss.* res distinctione est expedienda:

Aut enim quis surdus & mutus est SIMUL, quo casu, si ita Natus est, omninò testamentum facere nequit, ne quidem ad Pias causas, ne quidem permittente Principe, *Dn. Richter ad d. l. 10. C. dicto loco n. 23. Treutl. d. l. quia operatione intellectus destituitur,* nec explicare mentem suam ac testibus exponere potest, quam tamen ante omnia testes nosse debent, *§. 1. Inst. de milit. test. l. 24. ff. eod. Reusner. d. tr. p. 2. cap. 18. n. 19. & 22.* sed casu & ex accidenti surdus mutusque Factus, si quidem literas scit, utiliter testatur, modò illud testamentum suâ manu scripserit, *per d. l. 10. C. qui testam. fac. poss. Harpprecht ad d. §. 3. Inst. qui testam. fac. non poss. n. 2.*

Aut quis mutus est TANTUM, aut surdus TANTUM, & uterque hodiè rectè testamentum condit, neque interest, an quis Natus, an casu Factus sit mutus aut surdus: dummodò ille mutus scripturâ mentem suam declarare, hic voce articulatâ voluntatem suam exprimere ac prædere possit, *d. l. 10. C. qui testam. fac. poss.*

Quæ: an testamentum, Antequam quis surdesceret, aut obmutesceret, factum, valeat Postea? utique valet, *§. 4. Inst. quib. non est perm. fac. testam. l. 6. §. 1. ff. qui testam. fac. poss.* Ratio potest hæc dari; quia calamitas Superveniens nemini debet esse detrimento, *arg. §. Inst. de ingen. vid. Schneidevv. ad §. 3. Inst. qui testam. facere non poss. n. 3.*

### Th. XII.

Corporali sensuum defectu laborant quoque CÆCI, quibus

B

vel

vel Natura, vel Factum quoddam utriusque oculi usum impedit.  
*Schneidevv. loco citato.*

Hicce olim quidem fuit permiffum, facere testamentum nuncupativum, *Paul. lib. 3. sent. tit. 4.* quia accire possunt testes, & audire sibi testimonium perhibentes. Hodie verò hi ipsi non aliter testamentum condere possunt, quàm formâ ac dispositione observatâ, *S. 4. Inst. quib. non est perm. fac. test.* quam Imperator (ob justissimum, Falsitatis metum, quem aliàs oculorum præcavet intentio,) *in l. 8. C. qui test. fac. poss.* præscripsit. In hac lege disponitur, ut, cum Cæcus scribere non possit, testamentum tantum faciat per nuncupationem, declaretq; Heredem, & ejusdem simul dignitatem, aliasq; notas & circumstantias specialiter exprimat, adhibitis septem Testibus & Notario, vel (si copia Notarii desit) octavo teste, qui ultimam defuncti voluntatem accipiat, & in Scripturam redigat, unâ cum testibus subscribat atq; subsignet. Quod idem in Nov. Const. Imper. de anno 1512. repetitum & confirmatum est, *sub tit. von Testamenten s. aber zu eines Blinden Testament.*

Quibus tamen solennitatibus non annumeramus illam ut Heredis institutio legatis & fideicommissis præcisè præponatur, *propter text. express. S. 3. Inst. de legat. l. 24. C. de testam. Treutl. vol. 2. disp. 10. th. 3. litt. F. Ludvv. Exerc. 7. th. 5. lit. f.*

Quod autem dictum est, Cæcos non nisi ad præscriptum Imperatoris testari posse, verum est, nisi (1.) vel inter liberos testentur: cum pater regulariter reliquis juris Civilis solennitatibus posthabitis, coram duobus vel tribus testibus inter liberos possit testari, *l. 21. S. 1. ibiq; Gothofr. C. de testam. l. 16. l. ult. C. fam. hercisc. Harppr. ad S. 4. Inst. qui testam. fac. poss. n. 13. Schneidevv. eod. n. 6. § 7.* In liberis quippe cessat falsitatis suspicio, cum ipsi alioquin parenti suo naturâ duce sint successuri ab intestato, *d. l. 21. S. 1. l. 7. ff. unde liberi. Bachov. ad Treutl. d. l. lit. f.* vel (2.) *ad Pias causas*, ubi itidem duo testes sufficiunt, quia ejusmodi locus non præsumitur quicquam falsi machinari. Et ab hac Opinione tanquam Communiori recedendum non esse statuit Hartm. Pistor. *part. 1. qu. 3. n. 7. Carpz. part. 3. const. 11. defn. 34. n. ult.*

Omnia quæ jam diximus procedunt in eo, qui vel Naturâ, vel per Infirmi-  
tatem **UTROQUE OCULO** caret; non autem (1.) in **MONOCULO**, neq; (2.) eo, qui propter delictum aliquod, quod testamenti

## I N T E S T A T U S.

testamenti factionem aufert, utroq; oculo privatus, & exinde instabilis factus est, *secund. gloss. ad l. c. Instit. in verb. cæcus. Schneidevv. ad §. 4. Instit. quib. non est perm. fac. test. Johann. Dauth. in tract. de testam. sub tit. qui testam. fac. poss. n. 237. fol. m. 293.*

### Th. XIII.

In Thesi IV. cæpimus dicere de personis NATURA testari prohibitis: nunc etiam dispiciamus de iis personis, quæ ipsâ LEGE à testamentificatione removentur.

### Th. XIV.

Sunt autem duplicis generis: quædam POTESTATI alterius, quædam verò CRIMINI sunt obnoxia.

### Th. XV.

Alterius POTESTATI subjectæ iterum sunt duplices: vel existunt in potestate Dominorum ut servi, vel in potestate Parentum, ut filii familias, *pr. Inst. de his qui sui vel alien. jur.* Neutris tamen testari est perm. sum.

### Th. XVI.

De SERVIS expediti juris est, *l. 16. pr. & l. 19. ff. qui testam. fac. poss.* tùm quia nihil habent Proprium, de quò disponant; sed omnia, quæ acquirunt, Domino acquirunt, *§. 1. Inst. de his qui sui vel alien. jur.* tùm quòd juris Civilis, ex quò testamenta suam formam habent, communione destituuntur, *l. 20. §. 7. ff. qui test. fac. poss. Vult. hîc n. 6. Reusn. in tr. de testam. p. 2. n. 29.* Excipitur tamen servus Publicus populi Romani, qui pro parte dimidiâ sui peculii testari poterat, *Ulpian. in fragm. tit. 20. §. ult. Vult. ad §. fin. Inst. qui testam. fac. poss. n. 3.*

Atq; hoc quod dictum de Servis, idem olim quoq; erat juris de PEREGRINIS, ex eâ ratione, quia nec hi retinebant jus Civitatis, *l. 8. l. 12. ff. qui test. fac. poss.* Hodie vero id ipsum est correctum. Siquidem Fridericus Imperat. etiam peregrinis & advenis testandi jus permisit, *auth. omnes peregrini C. comm. de succession. quæ desumpta est ex Const. Friderici de statutis & consuetud. tit. 1. §. 10.*

### Th. XVII.

De FILIISFAMILIAS hoc statuitur jus, quòd nec ipsis testari sit perm. sum, *pr. Inst. quib. non est perm. fac. test. l. 6. l. 16. ff. qui testam. fac. poss.*

B 3

Ratio

## I N T E S T A T U S.

Ratio prohibitionis est in promptu: quia nimirum in filiofamilias ob patriæ Potestatis nexum non est Libera voluntas, nec ejus persona jure Civili integra, *Harpprecht ad pr. Inst. qui testam. fac. poss. Mynsing. eod. n. 2.* Velle enim non creditur, qui obsequitur imperio patris vel domini, *per text. in l. 4. ff. de R. I.* Quod idem etiam probat Lex XII. tabb. quæ testandi jus concedens loquitur non de filiofamilias sed de Patrefamilias. *Svevus velitat. 8. tb. 3. lit. b.* Paterfamilias, *inquit lex XII. tabb.* uti super pecuniâ tutelâve legassit, ita jus esto.

Filius igitur verbis legis à testamenti factione remotus, testari nequit: adeo, ut ne quidem permissu Parentum, (etiãsi Piam causam attenderint, *Hanedas. ex. 10. qv. 16. pag. 260.*) possit testamentum condere *pr. Inst. qui testam. fac. poss. Dn. Richter ad l. 3. C. qui testam. fac. poss. n. 65. cum seqq.* cum ejusmodi Privata permissio non possit immutare jus Publicum, *l. 38. ff. de pact.* sed jure Publico & legibus, non autem Privatorum voluntate jus testandi attribui, patet ex *l. 3. ff. qui testam. fac. poss.*

Non quidem quòd ad Statum rei Romanæ pertineat, uti describitur *in §. ult. Inst. de I. & I.* sed quod Formam habeat legibus & jure publico præscriptam, *l. 120. ff. de V. S.*

Et quamvis nulla ratio impediatur, quoniam filiusfamil. consentiente patre *Mortis causa donare possit, l. 25. ff. de donat. mort. causa,* nihilominus tamen consensu patris, tanquam privatorum pacto, Testari nequit, cum quoad Effectum quidem talis donatio pro ultimâ voluntate habeatur, *l. ult. C. de donat. mort. causa,* quoad Essentiam tamen magis contractus est, & privati juris, *Carpz. part. 3. const. 2. def. 1. n. 3. Moller. lib. 1. semestr. c. 59. n. 2.* Contractus autem consentiente patre à filio possunt fieri, *per tot. tit. ff. quod jussu.* Testamenta vero non item.

Data tamen de Filiofamilias Regula perdit suum (uti loquitur *l. 1. ff. de R. I.*) officium in bonis Castrensibus & Quasi-castrensibus, de quibus filiofamil. etiam invitò patre testari permittitur, *pr. Inst. quib. non est perm. fac. test. l. ult. C. eod. Ludvvel. Exerc. 7. tb. 4. lit. e. Treutl. vol. 2. disp. 10. tb. 2. lit. c.* jure tamen communi observato, *§. ult. Inst. de milit. testam. l. fin. C. de inoff. testam.* Ratio est, quia intuitu illorum.

## I N T E S T A T U S.

pro patrefam. habetur, *l. 6. §. ult. ff. de injust. rupt. & irrit. fact. test.*

Atque hoc castrensis peculii privilegium initio quidem solis Actu militantibus, postea verò etiam Dimissis, i. e. veteranis fuit concessum, *pr. Inst. quib. non est perm. fac. testam.* adeoque castrense peculium ex facto testamento cuiuslibet heredi debetur.

Quæritur autem, si filiusfamilias ut Miles decessisset Intestatus ad quemnam pertineat peculium castrense? Hic respondemus distinguendo inter jus vetus, novum, & novissimum. Veteri jure peculium filiifamilias indistinctè spectabat ad Patrem *l. 2. ff. de cast. pecul.* Jure autem Novo tunc demum admittitur, si filiusfamilias (qui ejusmodi peculium habet, quod patri non acquiritur) nullos Liberos vel Fratres relinquat superstites, *l. ult. C. comm. de success.* Sed jure Novissimo respicimus (1.) Liberos, (2.) hisce deficientibus Patrem, (3.) denique Fratres *Nov. 118. c. 2. & 3. Pacii analysis ad pr. Inst. quibus non est perm. fac. testam.*

### Th. XVIII.

Atque hæc prædicta, sunt quidem expedita de Peculio CASTRENSI; sed an idem sit concessum in Peculio Profectitio & adventitio, Dd. anxie disquirunt.

### Th. XIX.

De PROPECTITIO filium testari non posse, extra omnem dubitationis aleam est positum. Quia nemo de re Alienâ testari potest, *Wesemb. in parat. de testam. n. 9.* peculium verò Profectitium non est in bonis filii, sed tam usufructu, quam proprietate manet patris, *§. 1. Inst. per quas person. cuiq. acquir. Vult. d. t. n. 10.*

### Th. XX.

Sed an testari possit de peculio ADVENTITIO, cujus ne Ususfructus quidem ad patrem spectat, sed in quo filiusfamilias Plenum jus ex proprietate & usufructu constans consequitur, admodum controversum est.

Et hoc licet nonnulli speciosis rationibus Afferere conentur, *Wurmser. 1. pract. 39. observ. 16. Treutl. vol. 2. disp. 10. tb. 2. lit. c. & disp. seq. tb. 2. lit. a.* Negativam tamen sententiam, uti communioem, ita & verioem esse cum Dd. statuimus, *per expr. text. in l. pen. C. qui testam.*

*fac*

I N T E S T A T U S.

*fac. poss. Dn. Ungepauer. Exerc. 8. qv. 6. in Neg. Bronch. cent. 3. assert. 21. Arum. Exerc. 7. tb. 6. Hanedæ. ex. 10. qv. 17. p. 260. Schulzen in synopsi jur. universi vol. 2. notabl. 8. p. 47.*

Rationes negantium sunt fortè hæ: (1.) quod filiifam. respectu hujus peculii nullibi inveniuntur à Patriâ potestate Exempti, *arg. l. 3. C. de castr. pec.* quæ etiam jure Saxonico sublata non est, *Novell. Elect. Aug. const. 10. part. 2. in pr.* Weil in den Sächsischen Rechten nirgends zu befinden / daß die Väterliche Gewalt insonderheit auffgehoben / so bleibet auch dieselbe nachmals nicht unbillig bestehen. *Reufner. de testam. p. 2. c. 23. n. 24.*

Quod ipsum vero procedit in liberis minorennibus XXV. annis, *Carpz. ad d. Const. 10. def. 1. n. 5.* (2.) quod de Rebus, quæ parentibus acquiri non possunt, filiifamilias, cujuscunq; gradus aut sexus, non sit permiffum facere testamenta, *d. l. pen.* Adventitia vero parentibus, potiffimum illa, in quibus ipsis nec ususfructus, nec proprietas denegatur, acquiri nequeunt. (3.) accedit, quod filiusfamilias testari non possit, nisi de Castrensi & Quasi-castrensi peculio, *d. l. ult. C. eod. pr. Inst. quib. non est perm. fac. test.* A quâ Regulâ, cum nusquam legatur Exceptum hoc peculium adventitium, meritò de eò filiusfamilias testari nequit, *monente Dn. Richter ad l. penult. n. 19. addatur Donell. lib. 9. comment. c. 5.* Exceptio enim firmat regulam in casibus non exceptis.

Th. XXI.

Eorum numero, qui ob Potestatis alienæ nexum testari prohibentur, annumerandi quoque veniunt CAPTI AB HOSTIBUS, & quidem in bello Justo, *§. fin. Inst. quib. non est perm. fac. testam. l. 8. pr. ff. h. t. Treutl. vol. 2. disp. 10. tb. 2. lit. f.*

Ratio, cur etiam hi removeantur à jure testandi, non est incognita: quia scilicet & hi Alienæ Potestati subjiciuntur & Servi hostium efficiuntur, *§. 4. Inst. de jure person. §. 5. Inst. quib. mod. jus patr. pot. solv. Vult. h. c. n. 1.* Servos autem testari non posse, superius th. 16. demonstravimus.

Hinc testamentum In Captivitate factum nullius est momenti; quia in condendo testamento ejus Initium spectatur: quod autem ab initio Vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere, *l. 29. ff. de R. I.* Quod si tamen quis testamentum aliquod Ante  
captivi-



I N T E S T A T U S.

captivitatem legitime fecerit, distingvendum est: aut Redit ad suos, sic valet jure Postliminii, *S. ult. Inst. qui testam. fac. poss.* qvò ad suos reversus pristina omnia jura recuperat, & fingitur nunquam in Hostium fuisse potestate, *S. 5. Inst. quib. mod. patr. pot. solv. Harpprecht ad d. S. ult. n. 3. in fin.* aut Occumbit apud Hostes, sic nihilominus valet testamentum per Legem Corneliam, quæ sustinet testamentum ejus, qui apud hostes moritur, fingendo, eum ipso momento captivitatis mortuum, atqve ita Liberum, non servum obiisse, *l. 12. ff. qui test. fac. poss. & l. 1. C. de postl. revers.*

Th. XXII.

Huc etiam sunt referendi OBSIDES, qui non minus ac Captivi testari prohibentur; nisi eis testandi potestas specialiter permittatur, *l. 11. ff. qui testam. fac. poss.* Regulæ ratio est, quia Bona eorum non secus ac captivorum coguntur in fiscum, *l. 31. ff. de jure fisci*, ac proinde Captivis, & per hoc Servis comparantur, *arg. d. l. 31. Mynsing. hic n. 3.* dantur namque quasi Pignoris loco ad fidem servandam, ut, si hostes Fidem promissam violant, potestas sit in obsides animadvertendi, *Harpprecht. d. l. n. 4.*

Hoc autem quod jam dictum est de Obsidibus, non est extendendum ad eos, qui apud extraneos Legatione funguntur; quippe illi ipsi maxime possunt facere testamentum, etiamsi detineantur, *l. 13. ff. b. t. ibiq. Bartol. n. 3. Bald. n. 2.* Etenim licet bello exarscente, qui apud hostes deprehenduntur, Serviant, tamen aliud est in Legatis, qui jure gentium Liberi permanent, & sancti habentur ac inviolabiles. Itaque licet ipsi caperentur, id ipsum tamen illis fraudi minime esset, quando jure gentium Injusta servitus sit, *Bartol. loc. citat. l. fin. ff. de legation. Cujac. lib. 10. observ. cap. 5. Job. Dauth. in tr. de testam. sub tit. qui testam. fac. poss.*

Th. XXIII.

Porrò ad hunc ordinem spectant DE STATU SUO DUBITANTES, *l. 14. & seq. ibiq. gloss. ff. qui testam. fac. poss. l. 1. pr. ff. de legat. 3.* utrum videlicet Servi sint, an Liberi, vel *uti loquitur Ulpian. in fragm. tit. 20.* si quis ignoret, utrum Sui juris sit, an Alieni; vel si putant, se capite esse Minutos, adeoq; inhabiles ad testandum, cum tamen Non sint minuti. Qui omnes perinde habentur, ac si statum nullum haberent, ideoq; testari nequeunt. *Vult. ad pr. l. quib. non est permiss. fac. testam.*

I N T E S T A T U S.

*testam. n. 14.* quia certi & integri Status hominem certo Judicio testari oportet, *d. l. 14. ibiq. Dd. ff. qui testam. fac. poss. Reusn. de testam. p. 2. c. 37. Harpprecht d. l. n. 7. & seq.*

Hoc ipsum verò Limitationem admittit (1.) in Militis & veterani testamento, *l. 11. §. 1. ff. de testam. milit. l. 9. ff. de jure codicill. Bart. ad l. 1. ff. de legat. 3.* (2.) etiam in Condemnato, qui appellavit, & in Accusato, *l. 9. ff. qui testam. fac. poss. l. 13. §. 2. ff. eod.* siquidem hinc antequam moriatur, utique testari potest, quia certus est de suo statu, licet de ejus duratione sit incertus, *Bald. ad d. l. 9. ff. qui testam. fac. poss. vid. Job. Dauth. in tr. de testam. tit. qui testam. fac. poss. n. 153. fol. m. 201.*

Th. XXIV.

De cætero hujus etiam ordinis sunt MONACHI, qui eodem jure cum cæteris removentur à testamenti factione. Ratio, quia nec his adest, de quo testentur: omnia enim quæ eorum fuerunt propria, tacito jure ad monasterium transeunt. *Nov. 5. c. 5. abrogatâ contrariâ decisione l. 13. C. de SS. Eccles. Nov. 123. c. 37.*

Dubitari tamen posset, annon ex licentia Superioris testari Monachi queant, eo scilicet argumento, quòd habere aliquid Proprium eò permittente possint? Et verius est, illorum voluntatem, nullam fore, nec vim effectumq; testamenti habiturum etiam consentiente superiore. Ratio, quia testamenti factio non Privati, sed Publici juris est: adèò ut nullius privati conventionem aut consensu eis indulgeri possit testandi licentia, quibus lege est adempta, *l. 3. & 6. ff. qui testam. fac. poss.*

Limitatur tamen data assertio, quòd Monachi etiam post ingressum religionis testari possint inter Liberos, *auth. si qua mul. C. de SS. Eccles. & in quæstis Post monachismum, ex Nov. 5. Leon.*

Th. XXV.

Dictum fuit in Th. 14. eos, qui ipsâ Lege testari prohibentur, duplicis esse generis, quosdam ALTERIUS POTESTATI, quosdam vero CRIMINI esse obnoxios. De Priori genere egimus hactenus: transeundum nobis jam nunc etiam ad Posterius.

Th. XXVI.

In quo (imo) loco ponimus FAMOSI CARMINIS DAMNATOS. quibus & ipsis jus testandi in jure nostro denegatur, *l. 18. §. fin. ff. qui testam. fac. poss. quòd etiam pertinet l. 21. ff. de testib. l. 5. §. 10. ff. de injur. l. unic.*

## INTESTATUS.

*l.unic. C. de famos. libell. & Const. Novell. Imper. des Reichs Meinliche Halsgerichts Ordnung cap. 110. & Const. Saxon. part. 4. cap. 44. Ex quibus textibus patet, auctores carminum & libellorum famosorum non modo Intestabiles esse, sed Aliis etiam gravibus pœnis in jure coërçeri, Jul. Clar. in prax. crim. §. fin. qv. 68. num. 25.*

Rationem, cur tantâ severitate auctores libellorum famosorum coërçentur, ut etiam intestabiles sint, possumus hanc dare, quia scilicet tam juri Divino, quam Naturali congruit, ut calumniatores similitudine supplicii, cui alterum subicere tentant, teneantur. atq; hanc expressit Novella Imperii. Quemadmodum ergo is, qui de capitali crimine diffamatur, capite puniretur, & testamenti factionem jure amitteret, si criminis diffamati reus esset: ita quoque Eadem pœnâ diffamatorem teneri, convenit. *Joh. Dautb, in tract. de testam. tit. qvi testam. fac. poss. n. 226. fol. m. 267. seq.*

### Th. XXVII.

Deinde hîc obtinent locum APOSTATÆ, i. e. ad Paganismum vel Judaismum deficientes, *l. 2. 3. 4. C. de Apostat.*

Ratio hujus rei est, quia neque his adest, de quo disponant: siquidem horum in Vivos perpetua & publica est accusatio, *l. 4. C. qvâ testam. fac. poss. qvæ in Mortuos usque ad quinquennium extenditur l. 2. C. d. t. Accusatione q; approbatâ, damnatorum facultates fisco qværentur, l. 1. C. d. t. fiunt q; ex eo die, qvô fidem reliquerunt, non solum incapaces successionis, sed privantur quoque unâ testamenti factione, l. 3. & l. 4. C. b. t.*

### Th. XXVIII.

Ulterius & (2dò.) huc etiam referunt Dd. LAMIAS & MALEFICOS, seu sortilegii damnatos. Atque ita etiam respondisse Scabinatum Jenensem, testatur Strauch. *dissert. 9. th. 11.*

### Th. XXIX.

Idem quoque (3tio) juris constitutum reperitur de HÆRETICIS, *auth. credentes C. de heretic.*

Hæretici autem nobis dicuntur, qui quatuor illa sancta Concilia, Nicænum Constantinopolitanum Ephesinum primum & Chalcædonense non amplectuntur, *l. 8. C. de heret. Nov. 115. cap. 3. §. 14. Matth. Wesenb. in parat. C. de heret. n. 1.*

C 2

Ratio

I N T E S T A T U S .

Ratio interdictionis est, quia ipsis adimuntur Bona, & in filios orthodoxos transferuntur, *l. 4. & l. 15. C. qui testam. fac. poss.*

Hæreticos autem testari posse inter Liberos statuit Gothofred. *in Not. ad Nov. 115. c. 3. §. 4. n. 22.*

Th. XXX.

Hæreticos sequuntur (4to loco) DEPORTATI, de quibus *Olim* hoc erat jus, ut, si cui aqua & igni fuisset interdictum, nec ejus testamentum, quod Antea fecerat, valeret, nec id, quod Postea fecerat. Bona quoque, quæ tunc possidebat cum damnaretur, publicabantur aut creditoribus concedebantur, *l. 8. §. 1. ff. qui testam. fac. poss.* nam fiscus ita demum bona deportati occupabat, si fuissent lucrosa.

*Hodiè* vero tametsi bona deportatorum non publicentur (excepto crimine læsæ Majestatis) sed servantur parentibus & liberis usque ad tertium gradum, *Auth. bona damn. C. de bon. proscript.* non tamen ideò permessa est eis testamentifactio: quia non illis sed familiæ, lex favere voluit, quæ extendi non debet.

Th. XXXI.

Cœptam homuncionum intestatorum seriem (5to) loco angent BANNITI, sive PROSCRIPTI IMPERII, qui eodem jure cum cæteris, quos hætenus enarravimus, utentes, à testamentifactione removentur.

Ratio potest dari triplex (1.) quòd ejusmodi homines nullum habeant Velle. Quia sunt denunciati hostes Imperii, adeoque pro Mortuis reputantur, *l. 65. §. 12. ff. pro soc. & l. 1. §. 8. ff. de bon. poss. contr. tab.* (2.) quia constitutio fractæ pacis Personam banniti, ejusque Bona omnium offensionis & direptioni exponit, *Gail. lib. 2. de P. P. c. 15. n. 8.* (3.) denique quia banniti Civitatem perdendo, ea, quæ communis juris Civilis sunt, perdunt, *Bart. in l. 5. §. 1. ff. de capit. minut. Bald. in l. 1. C. de hered. instit.* ea verò quæ sunt juris Civilis perdunt banniti ideò, quia fiunt communes omnium Hostes, & ex numero Civium Romanorum delentur. *Gail. lib. 2. de P. P. c. 12. n. 3. & 5.*

Th. XXXII.

sed quæritur an idem sit dicendum de EXCOMMUNICATIS, quod de Bannitis? Negamus,

Quia hi ipsi specialiter tantum testari prohibentur vel ob Cædem Cardinalis, vel ob Hæresin, *c. fin. de pœnis in 6to. Auth. credentes C. de*

I N T E S T A T U S.

*C. de heret. idē in pœnam; Aliis casibus verò utiqve est dicen-  
dum, horum testamenta esse valida: firmat enim (uti superius th.  
20. dictum,) Exceptio regulam in casibus non exceptis.*

Th. XXXIII.

Amplius & (6to) loco testandi jure destituuntur **USURARIIL  
MANIFESTI**, qui si faciunt testamentum, non valet, nisi prius satis-  
faciant de usuris, vel præstent cautionem de satisfactione *c. quænam  
2. de usur. in 6to.*

Th. XXXIV.

Eadem juris dispositio (7mo) etiam observatur in illis perso-  
nis, **QVI INCESTIS NUPTIIS** se se commacularunt. & quidem ex  
eâdem Ratione, quia his quoque deest, de quo testentur: rationis  
ratio est, quia ejusmodi personarum pœna est confiscatio bonorum,  
*ut patet ex l. 6. cum auth. seq. C. de incest. nupt.*

Th. XXXV.

Ultimo & (8vo) loco restat, ut videamus, quid obtineat in  
**CAPITE DAMNATIS.**

Ac de his sanè constat, quòd de Jure Civili planè testari ne-  
queant, *ut patet ex l. 8. §. 1. & 2. ff. qui testam. fac. poss. l. 6. §. 6. ff. de injust.  
rupt. & irrit. fact. testam.*

Partim quòd potestas condendi testamentum saltem concedi-  
tur statum habentibus, i. e. qui Civium Romanorum & Liberorum  
hominum nomine gaudent, *l. 1. pr. ff. ad L. Falcid.* damnati verò capi-  
taliter, civitatem libertatemq; amittebant, & servi pœnæ efficieban-  
tur, *l. 29. ff. de pœn.* Partim etiam, quòd Bona eorum statim post con-  
demnationem publicabantur, *d. l. 8. ff. qui testam. fac. poss.* testator ve-  
ro debet habere, de quò testetur, *Ulpian. in fragm. tit. 20. §. 10.* Sed bo-  
nis damnatorum omnibus publicatis, illis ne quicquam reliqui fie-  
bat, de quò potuissent testari, *d. l. 8. §. fin. ff. qui testam. fac. poss.*

Secus autem est de hodiernâ Consuetudine generali, ubi illud  
impedimentum testandi prorsus est sublatum, *Carpz. in præct. Crim.  
part. 3. qu. 135. n. 8.*

Hodiè enim bona damnatorum Regulariter & Indistinctè non  
amplius confiscantur, sed eorum heredibus relinqvuntur, *auth. bona  
damnatorum C. de bon. proscript. Nov. 134. c. ult. circ. fin. Wesemb. in-*

C 3

comm.

## I N T E S T A T U S.

*comm. ff. qui testam. fac. poss. n. 1.* quæ tamen olim erat ratio prohibitionis, *l. 8. §. fin. ff. qui testam. fac. poss.* Cessante itaque Ratione legis, cessat & ipsa Lex, *arg. c. cum cessante 6. X. de appellat.* neque per illam damnationem liberis personis adimitur libertas, sed retinentur, damnati Bona sua atque Libertatem *auth. sed hodiè C. de donat. inter vir. & uxor.*

Excepto læsæ Majestatis crimine, quò casu confiscatio bonorum locum habet, *d. auth. bona damnat. C. de bonis proscriptor. Carpz. d. l. n. 27. 28. cum sequent.*

Alioquin testandi facultas capitaliter damnatis concessa non solum Ante, sed etiam Post condemnationem in actum deduci potest. *Dn. Richter ad l. 2. C. qui testam. fac. poss. n. 14. Matth. Coler. p. 1. decis. 34.* Et hæc est illa sententia, quam etiam jure Saxonico Novella Elect. Aug. *Const. 6. part. 3.* comprobatur, ibi quippe Damnatis ad mortem testamentifactionem expressim concedi (nisi omnium Bonorum confiscatio accedat) verba hæc evincunt: *Daß die jenige / die auch gleich zur Todes-Straffe verdammet und verurtheilet / ihrer Güter halben / und von allen dem / so sie nach ihrem Tode verlassen werden / Testament machen / und in andre Wege durch beständige letzte Willen kräftige Ordnungen auffrichten mögen. Jedoch wollen wir damit nicht gemeinet / sondern außgeschlossen haben / wenn die Uebelthäter nicht allein zum Tode / sondern auch zur Confiscation aller ihrer Güter verdammet worden.* Hanc consuetudinem velut generalem, etiam extra Electoratum Saxonix ubique ferè in praxi observari, testis est *Carpz. d. l. n. 22. & 23.*

Th. XXXVI.

Illi etiam, qui Infamiâ notatus est, testandi facultas denegari nequit. cum civitatem non minus, quam bona sua retineat, *arg. l. 17. ff. de stat. hom. & nulla lex, nullaq; constitutio infamem ex hoc ipso, quòd infamis sit, intestabilem pronunciet, Harpprecht, ad d. §. 5. Inst. quib. non est perm. fac. testam. n. 25.*

\* \* \*

Cum Oratorum proverbio, non solum dicere, sed & desinere artis sit: & ego ex priori causâ laudem mihi promittere non possum, ex posteriori ut consequar, colophonem huic Dissertationi meæ impono:

I N T E S T A T U S.

impono: rudi calamo tantillum vix concessurus, ut subjungat tria  
adhuc verba:

Hic terminus esto!

\* \* \*

C O R O L L A R I A:

1.

an periculum & commodum REI VENDITÆ statim perti-  
tineat ad Emptorem? Aff.

2.

an fur aliisque mortis reus INTERCESSIONE PUELLÆ nu-  
bilis ipso jure liberetur? Neg.


3.

Casus hic est: Titius pater misit Sempronium filium in terras  
alio sole calentes, v. gr. in Galliam vel Italiam. Pater interea tem-  
poris moritur. Pecunia transmittitur filio, ut possit redire in pa-  
triam. Qv. an hæc post mortem patris transmissa debeat à filio  
CONFERRI in hereditatem? Neg.

4.

an SPONSIONES (Germ. Wetten) hodiè sint licitæ? Affirm.  
cum distinct.

S. D. G.



α ω

**C**ondere Testamenta queunt omnes; nisi fortè  
Civilis quædam Lex Ratiove vetet.  
Sed quæ sint illæ Leges & quæ Rationes,  
Nervosis thesibus Wöttiger iste docet.

congratulate PRÆSIDE.

*Qvæ*

153.  
**Q**uæ sint TESTATI leges, & jura recludis,  
Quæve INTESTATI, candide Amice, doces.  
O factum benè! jam prodit vis ignea mentis  
Raras ingenii nobilioris opes.  
Jam gazas magnò promis sudore paratas,  
Quæ TE commendant demeliore notâ.  
Nec merces deerit: Lycius TIBI spondet Apollo  
Laurum, quæ Famam tollet in astra Tuam.

Clarissimo & pereximio Domino Autori, Fau-  
tori suo honoratissimo & Amico  
integerrimo  
gratulabundus apponebat.

Johannes Reisingius, Grimâ-Misn.

---

**D**UM de INTESTATIS nunc disseris ore rotundo,  
Testaris laudum TE meruisse decus.  
Gratulor, ô Juvenis nimium dilecte Camœnis.  
Perge ita laudatum quærere honoris iter.  
Sic Philurea Themis sua quondam castra secutum.  
Maestabit titulis (ringere Codre!) novis.  
Interea cape amicitia, Pylade optime, testem.  
Meq; TUUM dic, qui TE quoque dico MEUM.


*Paucula hæc AMICI suavissimi honori  
denegare non debebat*

Balthasar Otto, AA. Bacc.

F I N I S.









X 2615905

lam







1670, 5, XL

ἄτῃ Ἰησοῦ ἀλογηθεῖ ἀλογηθῶ  
ὀνόματι!

# ESTATUS,

ssimo Jctorum ordine  
consentiente

PRÆSIDE  
SLERO, Reussendorff-Silesio.  
D. Majoris PP. Collegii Collegiatio  
eptore officioso amore colendo,

publicè  
1670. d. 3. Februar. H. L. Q. C.  
ad examinandum propositus

à  
REDO Böttiger/ Bornâ-Misnico,  
Jurium Studiofo.

L I P S I Æ,  
S JOHANNIS ERICI HAHNII.

*Handwritten signature*

